

1097 ropæ fuerunt , ita ultra Thracium Bosphorum , Hellespontumque accisæ sunt , ut jam Imperator ipse circumspicere incipiat , qua vi , quave arte Byzantium ipsum retinere possit : qua obice (quod nolim) discussa , satis per se possunt intelligere , qualis non magis sua , quam totius Europæ sit futura fortuna . Horret animus admonitu eorum , quæ ventura sunt , si huic incendio , quod in dies magis sese nobis insinuat , non eatur obviam . Omnia mala , quæ antea passi sunt ii , quorum fortunam deploramus , nostris capitibus incident : servire cogentur viri conjugesque , pueri & puellæ ad stuprum rapientur : ac quum nihil omnino proderit , dolebitis , tantis malis dum licuit non ivisse obviam . Non creditis hæc futura ? Nec illi qui jam passi sunt , olim credidere ; utinam vanam spem non sæpius aleremus ! Sed præstat , viri fortes , dum vires nobis constant , consilium , auxilia , opes , pecuniæ ; dum adhuc omnia quæ ad victoriæ spem attinent , integra sunt , imminentem cladem avertere . Nec interea rem movemus , quæ sit humanis viribus desperanda . Carolus ille cognomento Magnus , vester , Germani , avita origine pene civis ; Rex & splendor vestri nominis , Galli duces , ex Hispania Aquitaniaque Sarracenos dejecit : Carolus Italia expulit : Carolus , quod gloriari soletis , Hierosolyma cum tota Terra , quam Sanctam appellatis , ejectis inde hostibus , recepit . Sed quo illius gloria & nomen majus est , eo vos , qui ab eo procreati estis , magis niti decet , recentibus factis vetustum gentis nomen augere . Quod non modo non præstabitis , sed ne retinebitis quidem , si in hac senescentes desidia , natale nostri Regis solum impiorum hostium planta calcari ; sepulchrum , templum , & reliqua sacraria , cædibus , stupris , sacrilegio , non sine vestra Christianique nominis ignominia , profanari sinitis . Quin potius , dum licet , arma capitis , idque commune dedecus aboletis : vobisque ac toti Europæ perpetuum ocium & quietem quæritis ? Quæretis credo . Nam quanto majores erunt vobis vires , si in unum conspiretis omnes , quam tum Carolo fuissent ; tanto certior , faciliorque erit victoria . Præmia ad hæc & multa & ampla victores manent , ex
tam